

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Sanctae Mechthildis virginis ordinis Sancti Benedicti Liber specialis gratiae

**Mechthild <von Hackeborn>
Mechthild <von Magdeburg>**

Pictavii, 1877

XVI. De multiplicibus portis coeli.

[urn:nbn:de:bsz:31-60070](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-60070)

miseriis querulari ipso sciente nullus debet; naturaliter est enim pavidum et infirmum. Pascendum est tamquam servus qui posset curiæ deservire, et pascitur eleemosynis propter Deum. Sic in veritate congruit; quia quo canis crudelior, eo fortius vinculum ejus colli esse debet. Nunc, o Domine, hæc verba tuæ pietati committo, deprecans [corde] suspiranti, lacrymantibus oculis, exuli mente, ut ea nullus pharisæus, *infidelis scilicet lector*, aspiciat; sed pueri tui audientes sic intelligant, quemadmodum tu, Domine, ea in tua veritate edidisti.

XVI. DE MULTIPLICIBUS PORTIS CÆLI.

IV. 24.

REGNUM cœlorum multas habet portas, [et tamen nullam habet.] Portarum multiplicitas est præmiorum diversitas, quibus singulorum fidelium animas suscipit, cœlumque se totum aperit in occursum amabilis Dei, sponsæ. Transit per omnes choros descendens Altissimus, occurrens fidei animæ, quem cœlestis sequitur exercitus secundum Dei gratiam gloriosus. Egreditur autem anima vel de purgatorio vel de hoc exilio, quam comitatur etiam angelica multitudo. In porta cœli conveniunt Deus et anima, *dilectus cum dilecta*. Aspectus nobilis, quo anima suscipitur *et a Deo gratanter intuita resplendet et ornatur*. Tantæ virtutis est aspectus ille ut a corde ejus omnem præteriti supplicii mœrorem, molestiam auferat et dolorem. Corona regni in hac porta capiti ejus imponitur, cum qua ad regnum gloriose introducitur. Corona hæc regni Dei voluntas nuncupatur; usque ad mortem peccanti, quam Deus per finalem pœnitentiam visitat, merces illa dignitatis non indulgetur. Tria sunt genera hominum quos Dominus dignatur suis paternis manibus coronare, videlicet virgines, viduas et matrimonio copulatos. Quos cum solemniter susceperit, postea eis coronas imponit. Viduas et de legitimo thoro coronat sedens in sede majestatis suæ; virginibus autem assurgens coronas stans imponit, tamquam imperatoris filius gloriosus. Salutatur eas interius sua divinitate; honoratur exterius omnipotenti humani-

tate; decorat Sancti Spiritus largitate, remuneratque omnia ipsorum merita Trinitatis æternitate, gratias agens singulis quod ad suas nuptias convenerunt; illique Deo reddunt gloriam quod per ejus gratiam mortem perpetuam evaserunt.

INCIPIT TRACTATUS DE SANCTIS NONDUM
CANONIZATIS.

XVII. DE FRATRE HENRICO.

CONSUETUDO mihi erat ad sepulchra piorum accedere defunctorum, ipsosque tamquam Dei domesticos salutare. Accidit autem ut frater Henricus, sacerdos de Ordine Fratrum Prædicatorum, in die Dominicæ resurrectionis, postquam prædicavit et Missam celebravit, populumque sacramentó Dominico communicavit, et omnia rite Officia complevit, sacramentum Unctionis peteret et more acciperet christiano: quo facto, instante crepusculo, transiit de hoc mundo. Qui cum a me more solito salutaretur in tumulo, facta est in anima solemnitas eximia; et ostensa est mihi anima illius in Dei amplexibus delicata. Vidique quod ejus adhuc esset gloria imperfecta; et interrogavi Dominum, quamdiu sic deberet subsistere, et si quas pœnas purgatorii pertulerit. Respondit Dominus: « Per horas quatuordecim sic manebit, hoc est septem diebus et septem noctibus. » Reclinatus erat super pectus Jesu, ineffabili voluptate præ devotione intima, qualem expertus non fuerat in hac vita. Sic autem subito illuc sine cruciatu pervenerat, sicut mater subito dilectum filium ad suum gremium suscipit in cinere volutatum. Et dixit frater Henricus ad me: « Dic sorori meæ *Odæ*, quod eam infra quindenam volo in Domino consolari. » Quod et factum est; nam infra quindenam debitum carnis solvit. Tunc frater Henricus me ad suæ cœlestis susceptionis solemnia invitavit. Et ecce illa universa supernorum civium multitudo in occursum se illius felicitis animæ per suas cohortes et

IV. 22.